Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 649
Quelle:
Copyright:

pro *una et altera pagina* habet *uno et alio uolumine*. Post Prologi verba: *in alio ponendo Imperatores* non inconcinne insertus est totus Tractatus, cujus jam Titulus meminerat, *de Majoribus Regnis* et praecipue *Romano* usque ad *Neronem pagg.* 15. et tum prosequitur: *Et quia primo summo Pontifici id est Christo* &c. *Fol.* 129. habetur *Johannae* Papissae Fabula. *Fol.* 137. p. 2. post *Clementem* IV. cui addita est Canonizatio *sancte edibige quondam ducisse polonie*, quam non habet in hoc Pontifice sistens *J. Fabricii Caesaris* Editio *Colon.* 1616. f. sequitur illa Formula *Quetifo* memorata: *A Clemente predicto presens cronica stilum operis commutavit* &c. Dein procurrunt Pontifices usque ad *Johannem* XXII. cujus solum nomen Codex exhibet. Cum vero *Martinus* a. 1378. excesserit, a *Nicolao* III. Continuator alius successit, qui *Bernardum Guidonis* O. P. abbreviasse videtur, ut suadet instituta collatio. Pontifices excipit Series Imperatorum et quidem *a Nerone*; alii enim, ut supra dixi, jam praecessere. Sistit autem in *Alberto* I. et sic finit: *Rex igitur Albertus parum* (in bello contra *Wenceslaum* IV. *Bob.* Regem) *proficiens, de suis etiam plures amittens reuersus est ad propria. Wenzeslaus autem rex bohemie sequenti anno prage diem clausit extremum. Anno regnorum suorum bohemie IX. polonie V. Anno scilicet domini M° CCC° V°. Hoc anno in die sancti Jacobi tantum diluuium circha luthomissil factum fuit, ita ut multos homines aliquibus etiam domibus abductis inopinate miserabiliter submergeret. Hijs etiam temporibus rex francie* (Philippus Pulcher) *diuersa prelia flandrensibus intulit, sed ipsi eum in omnibus superantes et de aduersarijs multa milia trucidantes uictorialem gloriam reportare meruerunt. Explicit gesta romanorum Imperatorum.* En igitur etiam hac parte *Chronicon Martinianum* productius, quam in Edit. *Fabriciana supracit.* quae in *Friderico* II. definit. Quid vero admiscet *Bohemica?* Studiose hactenus distuli, Lector! quae per totius Codicis oras sparsa sunt notatu digna, atque ea hic colligam. Ad finem Pontificum *fol.* 138. p. 2. legas: *Hic deficit cronica Jo. pape XXII. Benedicti XII. et Clementis VI. moderni pape. Currentibus annis Domini M. CCC. LI. Indictione tercia. Quo tempore hunc Librum scribere feci ego Bonsignore de Bononia decretorum doctor prage legens ordinarie decretales in studio generali ibidem.* At quae fors Virum hunc *Pragam* detulit? Respondet ille sub finem Imperatorum *fol.* 163. ad nomen *Wenceslai* Regis ita commentans: *cuius filiam* (Elisabetham) *habuit in uxorem Rex Johannes filius imperatoris Henrici comitis de lucimburgo. Qui Rex Johannes fuit pater Domini Karoli regis romanorum et Boemie hodie uiuentis. Ad cuius petitionem et uocationem veni pragam pro lectura decretalium ordinarie Anno Domini M. CCC. L. Ego Bonsignore de Bononia de cre-*